



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 12. Utrùm charitatis præceptum obliget ad dilectionem inimicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ARTICULUS XI.

Quomodo ordo charitatis servandus sit inter proximos.

Ordinem in dilectione proximorum ex charitatis precepto servandum esse, communis est Doctorum sententia, quam docet S. Thomas 2.2. q. 44. a. 8. & ante docuit S. Augustinus lib. 1. de doctr. christ. c. 27. ubi sic ait: *Ille autem iuste & sancte vivit, qui verum integer estimator est. Ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligit quod non est diligendum, aut non diligit quod est diligendum, aut amplius diligit quod minus est diligendum, aut aequè diligit quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius, quod aequè diligendum est.* Ratio autem est, quia hic ordo est secundum inclinationem charitatis. Atqui quod est secundum inclinationem charitatis, cadit sub ejus preceptum. Ergo, &c. Hoc praesupposito, sit

RESPONSIO I.

In eodem genere bonorum & necessitatum, consanguinei extraneis praerendi sunt.

Prob. Quia illis tenemur potius beneficium conferre, quos tenemur magis diligere: actus enim internus dilectionis proximi praecipitur in ordine ad actum externum, quo beneficiandum est proximo. Atqui in eodem genere bonorum & necessitatum, tenemur magis diligere consanguineos, quam extraneos: ad hoc enim inclinat charitas propter naturalem conjunctionem. Ergo, &c. Hinc illud Apostoli 1. ad Thimoth. c. 5. *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Dixi, in eodem genere bonorum & necessitatum, nam si in eodem genere bonorum, extraneus sit in gravi necessitate, consanguineus vero in communi tantum, aut si in eodem genere necessitatum, puta si uterque, consanguineus & extraneus, sint in necessitate gravi, sed extraneus in spirituali, consanguineus vero in corporali tantum necessitate sit, debeat subvenire potius extraneo, quam proximo. Ratio est, quia sicut debeat magis diligere proximum in spiritualibus, quam me ipsum in corporalibus: ita & debeat magis diligere extraneum in spiritualibus, quam consanguineum in corporalibus (supple semper, in pari necessitate.) Item sicut debeat magis diligere proximum, quam me ipsum in corporalibus, quando aut extremam, aut gravem, quam non parior, patitur proximus: ita etiam debeat magis diligere extraneum, quam consanguineum in corporalibus, quando aut extremam aut gravem necessitatem extraneus patitur, quam non patitur consanguineus.

RESPONSIO II.

Ex consanguineis in eodem genere bonorum & necessitatum, nobis propinquiores, & ex aequè propinquis digniores, praerendi sunt.

Prob. Nam in eodem genere bonorum & necessitatum, inter consanguineos debemus magis diligere eos, qui nobis sanguine conjunctiores sunt: nam si propter naturalem conjunctionem debemus magis diligere consanguineos ceteris paribus, manifestum est debere nos, ceteris paribus, propter naturalem conjunctionem majorem, magis diligere consanguineos propinquiores. Ergo, &c.

Item ex consanguineis aequè propinquis in eodem genere, &c. debemus magis diligere digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes, quam non habent alii: hoc ipso enim, ceteris paribus, sunt magis, quam alii, diligibiles. Ergo, &c. Hinc

In eodem genere bonorum & necessitatum, parentes praerendi sunt filiis emancipatis: nam v. g. parentes Titii relatè ad illum habent eminentiam principii, quam non habent ejus filii. Item ceteris paribus, pater praerendus est matri: cum enim pater sit principia causa generationis, habet in consanguinitate

Simonnet Theol. Tom. II.

te, respectu filii, aliquam eminentiam, quam non habet mater. Unde major reverentia patri debetur, quam matri: sicut non filiis sed parentibus simpliciter debetur reverentia.

Dixi, filiis emancipatis, nam quamdiu filii sunt sub tutela patris, pater non solum ex charitate, sed etiam ex officio tenetur illis providere: unde extra casum extremæ necessitatis, videtur filios non emancipatos, in quacunque alia necessitate, praerendos esse parentibus in eodem genere bonorum.

Porrò quia propter vinculum matrimonii arctissima conjunctio est inter conjuges, quaeri potest, 1. Utrum, ceteris paribus, parentes praerendi sint conjugi. 2. Utrum conjux praerenda sit filiis. *R. ad 1.* communem esse se sententiam, quod, ceteris paribus, conjugi parentes propter maxima ab eis accepta beneficia praerendi sint quoad subventionem scilicet, de qua hic agitur: nam quoad habitationem, & mutuam societatem, praerendum esse conjugem docet Scriptura Gen. cap. 2. ubi dicitur: *Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhaerebit uxori suae.*

Resp. ad 2. Videtur quod, ceteris paribus, conjux sit praerenda filiis. Ratio est, quia vinculum matrimonii conjuges tam arctè conjungere videtur, juxta illud Scripturae loco citato, *Et erunt duo in carne una*, quam vinculum sanguinis conjungit parentes & filios; & conjux, quia generationis comprincipium est, in eodem gradu conjunctionis aliquam habet eminentiam, quam non habent filii.

RESPONSIO III.

Inter extraneos praerendi sunt meliores in eodem genere bonorum & necessitatum.

Prob. Nam meliores sunt similiore Deo, & obiecta nobiliora, adeoque charitati magis proportionata. Ergo meliores habent unde magis diligibiles sint si nihil obstat ex parte diligentis. Atqui hic ex parte diligentis nihil est, quod obstat, quominus meliores sint diligibiles: nam si quid obstat, certè aliqua conjunctio diligentis cum minus boni. Nullam autem habent, cum minus boni, sicut & meliores, sint ei omnino extranei. Ergo inter extraneos magis diligibiles sunt, & ita magis diligi debent meliores. Ergo, &c.

ARTICULUS XII.

Utrum charitatis preceptum obliget ad dilectionem inimicorum.

RESPONSIO I.

Mortale est contra charitatem odisse inimicos. Est de fide, &

Prob. Quia mortale est contra charitatem odisse proximum, juxta illud 1. Joan. c. 3. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in saeculo manentem.* Scripturam autem, nomine fratris, omnem proximum intelligere, extra dubium est. Atqui inimicus est proximus: proximi enim nomine intelligitur omnis homo capax beatitudinis, qualis est omnis homo viator. Ergo, &c.

Dices. Licet odisse eos, quibus licet malum desiderare. Atqui licet malum desiderare inimicis. Ergo, &c. Neg. min. *Probabis.* Licet malum desiderare peccatoribus, juxta illud Psal. 9. *Convertantur peccatores in infernum.* Atqui inimici sunt peccatores. Ergo, &c. *R. neg. maj. Ad prob. resp.* verba Scripturae laudata, verba esse non optantis, sed praedicantis malum peccatorum.

At inquit. Christiani absque scrupulo malum desiderant inimicis Ecclesiae. Ergo similiter unusquisque absque scrupulo malum desiderare potest inimico suo. *R.* Christiani malum temporale desiderant inimicis Ecclesiae, vel ut convertantur, vel ne Ecclesiae noceant. Unde Christiani inimicis Ecclesiae malum

P defi-

desiderant non ex odio personarum, sed ex affectu charitatis, vel erga salutem illarum, quod est personas ipsas vero charitatis amore prosequi, vel erga Ecclesiae bonum commune, quod utrumque licitum est & laudabile.

Similiter inimico proprio desiderate malum ali- quod temporale, vel ex sincero affectu conversionis ejus, vel ex sincero affectu boni communis, quia nimirum aut ejus conversio, aut bonum commune alia via moraliter procurari non posse judicaretur, non esset malum, sed laudabile. At tunc malum non desideraretur inimico ex odio ipsius personae, sed ex vero charitatis affectu, vel erga inimicum ipsum, cujus bonum spirituale temporali antepondere debemus, vel erga bonum commune, sive spirituale, sive temporale, quod temporali bono cujuscumque privati laudabiliter praefertur. Ab hujusmodi tamen desideriis praefertim imperfe- cti abstinere debent propter morale periculum, ne ali- quis vindictae affectus illis immisceatur.

RESPONSIO II.

Sub mortali ex charitatis praecepto tenemur actu interno positive diligere inimicos nostros.

Prob. ex Scriptura: nam Christus Matth. cap. 5. sic ait: *Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Hic autem per haec verba, *Diligite inimicos vestros*, manifeste exprimitur eadem obligatio, quam exprimunt verba illa, *Diliges proximum tuum*. At exprimunt obligationem gravem actu interno proximum positive diligendi, ut supra probatum est Artic. IX. Ergo, &c. Sed quaeritur quando & quomodo praeceptum charitatis obliget ad internam dilectionem inimico- rum? Pro quo fit

RESPONSIO III.

Praeceptum charitatis obligat ad diligendum inimi- cos in particulari in casu necessitatis; & extra casum necessitatis, per se loquendo, obligat tantum ad dili- gendum eos in communi.

Prob. Ex praecepto charitatis non aliter tenemur, per se loquendo, ad diligendum inimicos, quam tenemur ad diligendum alios homines: cum per se lo- quendo, non alia sit ratio diligendi inimicos, quam diligendi alios homines, non enim magis sunt proximi nostri, quam alii homines. Atqui non tenemur ad diligendum alios homines in particulari, nisi in casu necessitatis; & extra casum necessitatis sufficit, si eos diligimus in communi. Ergo, &c.

Satisfacit igitur praecepto charitatis circa inimi- cum, qui cum extra casum necessitatis non excludit ab interno dilectionis actu, quo generaliter & in communi prosequi debet omnes proximos suos, & sic paratus est eum diligere in particulari, cum oc- curret necessitas ei beneficiendi, eumque reipia dili- git, cum occurrit talis necessitas. Quod autem etiam extra casum necessitatis diligat inimicum in particu- lari, per se loquendo non est in praecepto, sed in consilio, neque pertinet ad obligationem charitatis, sed ad ejus perfectionem.

Doctrinam hanc tradit S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 3. in O. ubi sic loquitur: *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in universali; & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis: ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi ini- micos suos non excludat. Tercio modo potest considerari dilectio inimicorum in speciali: ut scilicet aliquis in spe- ciali moveatur motu dilectionis ad inimicum: & istud non est de necessitate charitatis absolute: quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homi- nes singulariter, est de necessitate charitatis, quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis, secundum preparationem animi, ut scilicet homo ha- beat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diliget, si necessitas occurreret. Sed quod*

absque articulo necessitatis homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum (in speciali) propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, &c.

Dixi autem non semel, per se loquendo: quia po- test quis extra casum necessitatis obligari per accidens ad diligendum inimicum specialiter & singulariter, quando scilicet id moraliter necessarium est ad depo- nendum vel vitandum odium proximi, & affectum vindictae reprimendum. Sed quaeritur utrum teneamur ad actus externos dilectionis erga inimicos? Pro quo sint sequentes Responsiones.

RESPONSIO IV.

Ex praecepto charitatis unusquisque tenetur specia- liter & singulariter subvenire inimico in casu neces- sitatis; extra casum necessitatis non tenetur.

Prob. Nam ut ait S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 9. in O. *effectus & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur.* Unde sic argumentor, 1. pro prima parte. Tunc ex praecepto charitatis te- nemur specialiter & singulariter benefacere inimico, eique subvenire, cum ex praecepto charitatis tene- mur, eum specialiter & singulariter diligere. Atqui ex praecepto charitatis tenemur specialiter & singu- lariter diligere inimicum in casu necessitatis, ut probatum est. Ergo, &c. 2. pro secunda parte. Tunc non tenemur specialiter & singulariter bene- facere inimico, cum non tenemur eum specialiter & singulariter diligere. Atqui non tenemur inimi- cum specialiter & singulariter diligere extra casum necessitatis. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia ex praecepto charitatis non tene- mur alio modo ad beneficiendum inimicis, quam te- nemur ad beneficiendum aliis hominibus: sicut ex praecepto charitatis non tenemur alio modo diligere inimicos, quam tenemur ad diligendum alios homi- nes. Atqui ad specialiter & singulariter beneficien- dum aliis hominibus ex praecepto charitatis non te- nemur, nisi in casu necessitatis. Ergo, &c.

Specialiter igitur & singulariter inimicis, sicut & aliis hominibus, benefacere extra casum necessitatis, non est in praecepto, sed in consilio, nec ad obliga- tionem charitatis, sed ad ejus perfectionem perti- net: nec charitatis praeceptum transgreditur, qui ex- tra casum necessitatis inimico non beneficit specia- liter & singulariter, modo paratus sit ad hoc facien- dum in casu necessitatis.

Totam hanc doctrinam tradit S. Thomas loco ci- tato, ubi sic loquitur: *Alia sunt beneficia, vel dile- ctionis signa, quae quis exhibet particulariter aliquibus personis: & talia beneficia vel dilectionis signa ini- micis exhibere, non est de necessitate salutis, nisi secundum preparationem animi, ut scilicet subvenia- tur eis in articulo necessitatis: secundum illud Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum. Sed quod praeter articulum necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis: per quam aliquis non so- lum cavet vinci a malo, quod necessitatis est, sed vult in bono, vincere malum, quod est etiam per- fectionis, &c.*

RESPONSIO V.

Tenemur ex praecepto charitatis ea inimicis benefi- cia vel benevolentiae signa exhibere, quae exhibemus aliis hominibus in communi, sive tunc praeceptum aliis hominibus exhibendi urgeat, sive non urgeat.

Prob. Nam eo modo tenemur actu externo dila- ctionis inimicos diligere quo tenemur eos diligere actu interno dilectionis: effectus enim & signa di- lectionis internae, sicut ab ea procedunt, ita neces- sario ei proportionantur. Atqui ex praecepto charita- tis tenemur inimicos diligere actu dilectionis inter- no, quo alios homines diligimus in communi. Er- go tenemur etiam ex praecepto charitatis inimicos diligere actu dilectionis externo, quo alios homi- nes in communi diligimus. Ergo, quod idem est, tenemur ex praecepto charitatis inimicis exhi- bere

bere externa dilectionis internæ signa, quæ aliis hominibus in communi exhibemus.

Sic ratiocinatur S. Thomas 2. 2. q. 25. a. 9. in O. *Dicendum*, inquit, quod effectus & signa charitatis ex interiori dilectione procedunt, & ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum, in communi quidem est de necessitate præcepti absolute: in speciali autem est non absolute, sed secundum preparationem animi... Sic ergo dicendum est de effectu & signo dilectionis exterioris exhibendo: sunt enim quedam signa vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia vel dilectionis signa inimicis exhibere, est de necessitate præcepti, &c.

At inquit, Præceptum obligans ad internam dilectionem hominum in communi, est præceptum affirmativum, adeoque non obligat pro semper. Ergo possumus aliquando inimicos excludere ab interno dilectionis actu, quo alios homines diligimus in communi. Ergo possumus aliquando inimicos excludere à beneficiis seu benevolentiae signis, quæ aliis hominibus exhibemus in communi. R. neg. conseq. Nam cum præceptum illud non urget, non tenemur absolute inimicos diligere in communi, sicut nec absolute tenemur alios homines in communi diligere. At ex hypothesi quod tunc eliciamus actum internam dilectionis proximorum in communi, si ab eo inimicos excludimus, præceptum charitatis transgredimur, quia tunc eos non excludimus, nisi ex odii vel vindictæ affectu, qui pro semper charitatis præcepto prohibitus est; & dato quod hoc fiat per aliquem alium affectum indifferentem, adhuc peccamus contra charitatem, quæ tunc ad internam dilectionem inimicorum in communi non absolute quidem, sed ex hypothesi obligat, & quia actu proximos alios in communi diligimus. Unde nego 2. conseq. Ex dictis.

Collige 1. hæc Christi verba Matth. c. 5. *Diligite inimicos vestros*, obligare ad actum internam dilectionis erga inimicos, in speciali quidem, quando occurrit necessitas, & in communi extra casum necessitatis, quando scilicet alii in communi diligendi sunt, aut etiam absque obligatione diliguntur. 2. Et ita hæc alia Christi verba eodem loco, *Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos*, obligare ad benefaciendum inimicis, & pro illis orandum, in speciali quidem in casu necessitatis, & extra casum necessitatis in communi, quando scilicet aliis hominibus benefacere, & pro eis orare in communi tenemur, aut etiam sine obligatione aliis hominibus in communi benefacimus, & pro eis oramus. Docet hoc S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 2. in O. *Necessitatis est*, inquit, ut in communibus nostris orationibus, quas pro aliis facimus, inimicos non excludamus. Quod autem pro eis specialiter oramus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo casu speciali.

Quæres, utrum homo teneatur salutare inimicum, & salutantem resalutare.

R. hominem teneri ad salutandum inimicum, quando hoc necessarium est ad vitandum scandalum, aut ad deponendum internum actum odii, aut ad placandum inimicum, vel procurandum ut ipse odium deponat. Quia autem vel ad hæc omnia, vel saltem ad aliquod horum regulariter salutatio necessaria est, homo ad salutandum inimicum regulariter tenetur: quamvis salutatio signum sit specialis benevolentiae, adeoque per se loquendo, non magis inimicis, quam aliis hominibus debeat.

R. 2. hominem, quamvis non teneatur ex charitate omnem salutantem resalutare, sed ad summum ad id ex quadam tantum urbanitate teneatur, teneri tamen ex charitate ad resalutandum inimicum salutantem, & aloquenti respondendum. Ratio est, quia in talibus circumstantiis, resalutationis & responsionis omisso est de se & ex natura rei significativa odii, adeoque de se & ex natura rei adversa-

Simonet Theol. Tom. II.

tur charitati, & quidem graviter; nisi tamen attenda personarum & circumstantiarum conditione, signum sit tantum contemptus levis, vel levis cuiusdam indignationis, quo casu de se, & iublato scandalo, leviter tantum charitati repugnabit.

Quæres, quando & quomodo ex charitate teneatur homo ad remittendam injuriam inimico?

R. 1. hominem teneri ex charitate ad remittendam interiùs injuriam, seu ad omne odium interiùs deponendum, quod pertinet illud Christi Matth. c. 6. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

R. 2. ad externa amicitiae signa inimico exhibenda, per se loquendo, hominem non teneri ex charitate, nisi in casu necessitatis, aut cum inimicus veniam petit. Ratio est, quia charitas per se non obligat ad hæc signa inimico exhibenda; nisi cum obligat ad eum specialiter & singulariter diligendum. Atqui charitas non obligat ad inimicum specialiter & singulariter diligendum, nisi in casu necessitatis, aut cum veniam petit. Ergo, &c.

Major patet ex terminis. Minor vero probatur ex S. Thoma 2. 2. q. 83. a. 8. in O. *Diligere*, inquit, *inimicos in generali, est in præcepto; in speciali autem non est in præcepto, nisi secundum preparationem animi; ut scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & cum juvare in necessitatibus articulo, vel si veniam peteret.* Externaigitur amicitiae signa inimico exhibere, cum nec occurrit necessitas, in qua juvandum sit, nec ipse veniam petit, in consilio est non in præcepto, nec necessitatis est, sed perfectionis.

R. 3. hominem non teneri ex charitate ad condonandam satisfactionem convenientem injuriæ acceptæ, quantumvis ad injuriam ipsam interiùs, interiùs odium deponendo, vel etiam exteriori, cum veniam petitur, externa reconciliationis signa exhibendo remittendam, teneatur ex charitate. Ratio est, quia qui injuriam passus est, jus habet ad congruam satisfactionem, & jus illud per legitimam potestatem prosequi potest, & petere ut sibi restituantur bona externa, honor, fama, &c. prout in bonis externis, honore, fama, læsus fuit. Hic tamen aliqua sunt observanda, ne violetur charitas. 1. Ut ex animo remittatur injuria, & nihil fiat ex affectu vindictæ. 2. Ut reojustam ad prudentum arbitrium satisfactionem offerenti, lis non intendatur, nisi poena aliqua, per sententiam Judicis infligenda, ad bonum commune requiratur. 3. Ne reus levi damno, a se illato, cogatur satisfacere cum gravi suo detrimento. 4. Ne reus, postquam satisfecit quantum potuit, amplius urgeatur ut taciatur quod non potest, nisi tamen ulterius, propter bonum commune, justè ab eo qui læsus est, intendi possit, ut poena aliqua reo infligatur propter commissum delictum.

ARTICULUS XIII.

De præcepto correctionis fraternæ.

Duplex est correctio proximi: una judicialis, & altera charitativa. Prima pertinet ad justitiam vindicativam, & fit per auctoritatem publicam tenditque saltem præcipue in ejus, qui corrigitur, castigatorem & poenam, propter bonum commune. Secunda pertinet ad misericordiam, quæ vel non est virtus distincta à charitate, vel potius virtus est intimè cum charitate conjuncta. Finis ejus est illius qui corrigitur bonum & emendatio, & de ea multa queruntur. 1. Utrum sit in præcepto? 2. Utrum sit in præcepto graviter obligante? 3. Quænam sit ejus materia? 4. Quando & cum quibus circumstantiis hoc præceptum obliget? 5. Quas personas & ad quos corrigendos obliget? 6. denique, utrum obliget ad servandum ordinem aliquem in correctione. Quibus omnibus satisfiet sequentibus Responsionibus.

P. 2. RES.